


¶ hoc altaris parvianone
¶ filii tu corporis et sanguinis
¶ Christi qui bone dictione celesti
¶ precium vitudinem. ¶ dicitur
¶ **T**unc ad omnia dñe famulorum
¶ misericordie cordis. ¶ nos recesserit
¶ mox. et recesserit in sonno paup
¶ eris dñe et cum nubibus in Christo quiesceris
¶ in seculis ac paup. illi dñe
¶ dñe. ¶ **C**ibae. ¶ **P**ecata. ¶ **E**go transi
¶ in seculis. ¶ **S**ed in seculis
¶ secundum te. et secundum te missam de
¶ cibis. ¶ **P**ro cibis at illis amissis
¶ in seculis. anno. m. a. b. t. m.

60. f. Bd.

D₉

+



ALBERTI
MELLEMANI BER-
LINENSIS MARCHICI
DESCRIPTIS RECENTI-
ORVM PHILOSOPHORVM EPI-
STOLA AD IOHANNEM MEIE-
RVM LIPSIENSEM.



VITEBERGÆ
Excudebat Zacharias Lehman
Anno Iesu Christi
M. D. LXXXI.



Hic sedet Alcides inverso robore clavæ:
Ast aquilæ sursum penna sonora volat.
Hunc argut sibi deposit penna triumphum;
Et super Alcide vendicat arma locum.
Est toga Marte prior; calamus Mavortibus armis:
Quæ non arma queunt vincere, scripta queunt.

ALBERTVS MELLEMA
NVS VIRO MVLTIS VIRTVTVM
OPIBV S AFFLVENTI, SPLENDIDOQVE INGE-
nio, variaq; doctrina, IOHANNI MEIE-
R O, artium Magistro, legum au-
tem candidato

S. P. D.

DIOSVM QVOD DAMGENVS EST,
quod te, qui abundas prudentia, latere non exi-
stimo, Mejere Clarissime, illorum, qui nullam a-
liam ob causam, quam ut omnia scire, nihil igno-
rare videantur, omnia scripta sine delectu, judi-
cioq; reprehendunt, quæ ab hominibus nostris ho-
diè publicantur. Illis ego hoc tempore de re multùm etiam apud
vetustiores agitata respondendum, & argumentis contravenien-
dum putavi. à quibus si veteres potius scriptores, quam strategi-
matum amatoriorum, reliquarumq; ineptiarum magistri legendo
contererentur: nunquam adversus illos hanc ego velitationem
verborum suscipere, nunquam cum iis acerbè digladiari voluisse.
Quoniam verò nostrorum hominum conatus magis invidia &
emulatione, quam antiquorum lucubrationes amore prosequuntur:
has enim illi familiari sermone provocati nostris temporibus mini-
mè convenire dicunt: & quia, quò socordia pervenire non potue-
runt, eò cæteris aditum interclusum arbitrantur: necessitate com-
pulsus in hunc quasi campum descendit, pulveremq; differendi.
Ac primum illud in medium adduci non ignoro, quod apud Plau-
tum poëtam festivum & elegantem jam olim scriptum reperitur,

A 2 emitti

emitti in lucem novos libros novis nummis nequiores. Quod dici valde plausibiliter potest, cum veteres, quae in controversiam veniebant, occupasse omnia, parum ac propè nihil non tentasse; sibi laudem, gloriamq; peperisse; posteris nihil reliquise videantur. Idem autem ille Plautus se non est passus à scribendo deterreris negat. Terentius, qui tamen ipse nihil inquit esse dictū quod nō sit dictum prius. Eodē planè modo Salomon apud Iudeos; apud Romanos Iuvenalis, ceteriq; multi; & temporibus nostris Petrarcha, & Cornelius Agrippa cū de librorum multitudine conquererentur, ipsi fuerunt in scriptione versati: & horum alter semper est ijs artibus multūm usus, quas in artium vanitate reprehendit: ut illi multa quidem recte novari, sed non ab omnibus posse hoc fieri; negat rerū naturam, sed ingeniorum diversitatem eius esse causam intellectu videantur. Homines igitur ineptos à scribendo verbis absterrere, doctioribus commentationem exemplo suo persuadere voluerunt. Hac ego ratione scriptores hodiernos possem à malevolentia vindicare: & quia multa ex veteribus ab iis hauriuntur, Socratem possem laudare testem, eadem de iisdem esse dicenda. Quod cū ei fuerit eo tempore concessum, quo rudis adhuc erat, negat ita exulta philosophia, ut de iisdem eadem loqueretur: cū quidem politorem illam semper, floridioremq; effingere, & exornare potuisset: non existimo nostris hominibus vicio esse vertendum, si ex aliorum latifundiis defringatur surculus quidam doctrinae, qui deinceps eorum scriptis inseratur. Verum cū hac tenuiora videantur, aliis ego armis jam munitus atq; instructus vehementiori cum alacritate pugnabo. Nec de illis dicam, qui nihil volunt populari lingua publicari: quasi lingue ipsae essent artes, ac non potius in iis artium semina spargerentur, doctrinæq; tradarentur. Quos quia nobis erit in secundo Literati libro profligandi locus: hic cū iis solum, qui nostrorum industriam in universum

sum aspernatur: manus conserenda sunt, acriterq; ferie ndū, aut de-
serta statione fæde, turpiterq; fugiendum. Illud igitur propono, re-
rū esse potiore, quam temporis habendam rationē: nam &, quæ anti-
qua sunt, aliquando suum ortum ac novitatem habuerunt; &, quæ
nova nūc fiunt, si modo non invita Minerva et Apolline generātur,
pervenient ad senectutem, & quandam quasi caniciem assequen-
tur. Quod si sapiens illa, quam tantoperè diligimus, antiqui-
tas in rebus novis recipiendis adeò fuisset delicata: jam quidem
Aristoteles, Homeros, Cicerones, Virgilius, illa doctrinarum lumi-
naria nequaquam haberemus. Sed contrā facit vulgus impe-
ritum,

Quod redit ad fastos, & virtutem aestimat annis:
Et oculos illius beluae caput plurimorum omni aetate, in primisq;
nostra bonorum praesentium lumen, excellentiaq; perstrinxit.
Homerus enim cum in vivis esset, fuit obscurus, ac propè notus ne-
mini: qui cum diem obiisset, quot civitates inter se contenderunt,
& de illius patriæ gloria dimicarunt? Idem non prius, quam post
obitum accedit Longilio, cum refrigerata invidia viderent homi-
nes, quanta in eius ore suavitas insedisset, elegantiaq; dicendi.
Quanto vero preclarus erat, non antiquitatem rerum expendere,
sed acriter in earum intueri dignitatem? Nam ut in vino lau-
dabili non semper vetustas est, sed potius suavis quedam salubri-
tas expetenda: eodem certe modo libri non erant aetate, sed rerum
bonitate judicandi. unde facetè Horatius:

Si meliora dies, ut vina, poëmata reddit,
Scire velim precium chartis quotus arroget annus.

Quid opifices non moliuntur, ut indies supellecilem omnis gene-
neris excogitent usibus quotidianis ac domesticis aptiorem? Tan-
tum igitur laboris suscipiemus ad culinam instruendam, ad hortū

A 3 fodien.

fodiendum, aut ad cetera munia commodius obeunda? idemq; non faciemus, ut perfectius adipiscend& sapientiae instrumentum habeamus? Veterum ego quidem labores divinis laudibus in cœlum extollo, qui tot atates acerrimam Aristarchorum censuram subie- runt: verū eosdem nego nunc esse meliores, quam olim fuerunt, cūm primū tanquam Minerva ex Iouis capite, itā illi ex acutissimorum hominum ingeniis gignerentur. Illud etiam adjungo, nihil esse tam diligenter expolitum, quod non enucleatiū excolatur, cum in labore perpetiendo diligens quadam industria, & stu- dium non incuriosum adhibetur. Non enim eadem hominis est cum Deo conditio, qui in summa semper est sapientiae perfectione constitutus; cuius non solum dignitas ipsa non minuatur, sed etiam nihil ad amplitudinem adjiciatur. Homo vero cogitat inter- dum acutius: interdum tanquam per transennam & caliginem res obscurius intuetur: unde veteres, qui nobis omnia monstrare cupiebant, ipsi permulta videre non potuerunt. Omnia igitur posteriora, cūm à pluribus observata sunt, multūmq; agitata, pos-
sunt esse splendidiora, uberiora, meliora. Nam excogitare alii- quid acutè per se magnificum est, atq; pulchrū, planēg, splendidius ad laudem obtainendam, quam inventum ornare & expolire alienum: sed tamen si ad aliorum utilitatem cogitationem referamus, (omnes autem studiosiores esse debent aliis commodandi, quam sui ostendandi:) fructuosius est, & uberior ad benē de societate homi- num promerendum, ab alijs quæ sunt inventa, ea plenius amplifi- care, & efficere meliora. In pictura pascuntur oculi colorum sua- vitate, quæ decus & ornatum tueri non potest sine bonitate linea- mentorum: & in arboribus magnitudo nos, proceritasq; delectat: verū illa ipsa tam altē excrescere non potuisse, nisi fuisset à te- nui primum stirpe generata. Quamobrem illi, qui ante Aristote- lem floruerunt, summa cum laude multa subtiliter invenerunt, &

in-

ingeniosè: quæcūm hic peripateticorum princeps contulisset, o-
mnem majorum ingenii gloriam utilitatis laude superavit: quod il-
le nunquam efficere potuisset, nisi in superiorum doctrina magnum
subsidiū habuisset. Verum si præstans hic philosophiæ magister,
& qui sunt cum deinceps inseuti, unum in locum omnes ex omni
memoria conferantur: nondum erit inveniendarum rerum expli-
cata magnitudo, quæ infinitis partibus latius, quam ipse mundus,
patet. Non igitur veteres omnem sapientiam ebiberunt: ve-
rūm nobis etiam non solum ad gustandum multum, sed quoq; ad :/
hauriendum reliquerunt. Cur itaq; nostratum scriptionem im-
probamus? cūm in veteribus multa non dicam non expressa, sed ne
adumbrata quidem habeamus? Quòd si herba quedam
antè non conspecta nostris oculis offeratur, cuius aliquis sit
usus in medicina corpori facienda, eam proculdubio in hortis
coleremus, &, cūm necessitas postularet, nemo esset, quin
eam libenter adhiberet. Cur itaq; corporis maiorem, quam ani-
micuram geremus, & novorum rationes in medium allatas con-
temnemus, à quibus omnis animorum est petenda curatio? Cūmq;
novitas sèpè nos sola delectet, cūm feras cernimus ad saltationes
educatas, vel psittacos audimus artificiose vocem humanam expri-
mentes: cur nō ea novitate, quæ singulari est conjuncta cū necessi-
tate, capiamur? Nā ad scriptionis novitatem necessariò nos abdita
quædā naturæ & abstrusa vis, obscuritasq; compellit: quæ tanquam
Libya novā beluam, ita illa novas ex se questiones parit, ut semper
habeas sylvam ad inquirendum copiosam. Semper enim ex im-
menso illo philosophiæ pelago disputationum fluctibus agitato no-
va quedam Venus emergit, elegantiq; doctrina. In vita verò
communi ac in moribus cùm se quotidie fæcunditas erroris efferat
copiosè: an non illa ex animis hominum, uti sentes & vepreta ex
agro fertili, nobis erit diligenter amputanda? In artium autem co-
gnitio

gnitionem cùm innumeri faciant impetum perduelles: nōnne in
præsidis collocandi sunt exercitati in scribendo, qui cùm increpuit
tumultus, copias instruant argumentorum, in aciemq; educant?
Hac in re non illud solum verum est:

Sordida linteolis religantur vulnera puris,
Ulceris abscondit fascia munda locum:
Indiget in primis docto mala causa patrono;
Sed bona defendit se bonitate sua:

Verum hoc etiam certò tenendum est:

Sæpè sui decoris perdit bona fabula florem,
Si non hanc verbis histrio navus agat:

In hac igitur fabula cùm fuerint tot histriones occupati, nondum
est tamen ad extremum actum, exitumq; perventum: & erit in
eadem posteris non solum magnus ad augendū, sed quidā etiam re-
lictus ad inveniendū locus. Fac autē certa sint onia, nihil sit abstru-
sum, omnia habeantur explicata, et in ordines artificiose distributa:
nōnne universus labor ille discendi subeundus est, tant&q; molestiae
devoranda, ut alios cùm sit opus, sine difficultate doceam⁹, animiq;
sensum explicemus dilucide, aperteq; dicendo? Quomodo vero alios
ad cognoscendum instruet is, qui in scribendo non diu fuerit, mul-
tumq; versatus, & qui in legendō solum se contriverit, neg; calamū
arripuerit, & sicut Diogenes suum dolium, ita animi cogitationes
in omnes aliquando partes converterit? Quomodo loquetur is, quā
nunquam verborum delectum habuerit? nunquam eorum classem,
ordinemq; instruxerit? Scriptionis enim tanquam filiola est cursus
ille sermonis non in loquentis ore impingentis, sed suavi quadam,
& leni æquabilitate profuentis. Quamobrem præclarum est, in-
quirere ulterius, neg; tanquam pecudem duci ad præscriptum, nu-
tumq;

tumque aliorum: gloriosum est, optimè mereri de quā plurimis, &
inventa maiorum efficere ut sint meliora, omnibusque notiora. Qui
aliorum autem vestigiis semper insistit, neque compendiarias non-
nunquam vias excogitat, is hominem se diuinitus conditum, hoc
est, ratione munitum esse, ingenioque donatum ignorat; & ita vi-
vit, tanquam puer in literarum ludo sub magistri imperio consti-
tutus. Quād autem iucundum est plus videre, quād alii potu-
erint? quanta voluptas est, cernere alios nostris inventis adjuva-
ri? quod qui non esse necessarium opinantur, ii non consyderant,
quid hominum inter se necessitudo, societasque flagitet, & à Deo
quantum acceperint beneficiorum. Nam si homo te preciosō mu-
nere affecisset, eoque non utereris, illi proculdubio stomachum com-
moveres, quod abste contemni videretur. Quid est autem tam
amplum, tamque preciosum munus, quod sit cum Dei Opt. Max. mu-
nificentia comparandum? qui cūm ingenii non uniusmodi vim no-
bis sit elargitus, agentem & patientem (uti vocant:) quarum u-
na ab aliis monstrata comprehendit, altera verò, quæ priorem an-
tecellit dignitate, aliquid suo Marte procudit: pulcherrimi omni-
um, maximique muneris potiorem partem incultam esse patiemur?
cūm hoc non solum nostro sit cum detimento, sed etiam cum Dei
contemptu permagna ex parte conjunctum? Nec illos puto audi-
endos esse, qui scriptionem se probare quidem dicunt gloriae non
appetentem, sed intra domesticos se parietes pudice continentem.
Quam tu mihi puellam demonstras aliorum conspectum subire me-
tuentem? Illam volo, quam ita natura formaverit, & quam sui
mores ita pingunt atque fingunt, ut cūm domi quidem interdum de-
litescat, non tamen in publicum aliquando prodire vereatur. Glo-
riam enim quod attinet, opus est ejus igniculis ad ingenium cupi-
ditate laudis incendendum, ut ejus magnarum in actione rerum
aliquid lumen eluceat. In studiis ita comparatum est, magna

B sibi

sibi despondeat & summa proponatis, qui aliquando vel mediocritatem obtinebit. Quae vero est in scriptis honoris, laudisq; contentio, si nomen auctoris amputetur? quod ipsum, non (ut Cicero videtur voluisse:) propter unam gloriam, verum alias etiam ob causas non debet pretermitti: ut eo vel liber commendetur interdum, veletiam improbis in bonos stomachi erumpendi facultas auferatur. Quapropter cum benè multæ sint, grauesq; cause, quibus impellimur ad scriptionem colendam: cur iam nostrorum hominum aut impediuntur conatus, aut ingenia comprimuntur? Antiquitas non Homeros solum habuit, sed etiam Chærilos, cætrosq; de nota viliore: & nostra etas in utroq; genere satis multos, non solum hebetes, sed etiam acutos, & ingeniosos, & celeres ad cogitandum. Cujus rei qui exempla proferri desyderat, cum in tanta ingentiorum luce versetur oculorum sensu destitutus: ei meliorem potius mentem optare, quam summorum virorum copiam monstrare debemus; qui si tot saeculis ante nativitatem suum locum inter antiquos etiam summa cum dignitate tenere potuissent. Ac si veteres nullis adminiculis fulti tantum prestiterunt: quid de nostris temporibus nobis erit sentendum? quæcum illorum inventis essent non mediocriter adiuta, notas sculpscrunt literarum, quibus libri imprimarentur, & in omnes orbis terrarum angulos longè, latèq; disseminarentur, & tormenta curulia fabricati sunt, quibus in bello mœnia firmissima dejicerentur; & in mari inauditis navigationibus iter apreuerunt, & novum propè terrarum orbem repererunt; omnésq; doctrinas expolierunt, ipsiq; religionis, pietatisq; studio squalorem abstulerunt: ut omnes artes, quæ jacuerant humili depressæ, & penitus exaruerant, rursus agere radices, & revirescere, & florere, & fructus benè maturos producere cernerentur. Indulgens enim natura mater non omnia simul effudit, sed permulta reservau-

reservavit nascentibus largienda. Unde exortus est magno vir
ingenio Ludoicus Vives, qui contra sententiam aliorum pri-
mam mundi etatem pastoriciam fuisse, alteram militarem, postre-
mam hanc nostram literatam esse contendit: sed de hoc nunc qui-
dem non magnopere laboramus. Ingenium igitur nostris tem-
poribus suppetit copiosum, & potest in pluribus versutia & cal-
lidas, quam simplicitas deprehendi: quod qui negant, seipso
tardiores profitentur, qui vel eo nomine recentiorum scripta pro-
ferri patientur ut iis ducibus ad majorum, quos unos admiran-
tur, documenta percipienda complanetur aditus, ac quasi expedi-
ta via munitatur. Quod cum in legibus interpretandis fieri
videamus, quarum in studio imperator olim librorum multitudi-
nem abolevit, & uberrimam sylvam ita conatus est extirpare, ne
unquam fruticaretur: quid in philosophiae studiis fieri putandum
est? ubi cruenda rationes sunt, ac ubi non solum inveniuntur
sententiae plurimum discrepantes, sed veterum etiam scriptorum
insignes errores creberrime deteguntur? Quod nisi ulterius
erat indagandum, nunquam leges Romanae prudentiae opinione ce-
lebrata certum ac statum oratorum numerum singulis in civita-
tibus, philosophorum autem quantumcunq; esset, a muneribus publi-
cis excusari voluissent. At exoriuntur homines imperiti, &
inanis sapientiae persuasione temulentii, qui ubi se contra opposue-
runt: Vah, inquiunt, itane te extollis ipsum? ut te sapientissimo-
rum hominum cætu perspicaciorem esse, & tot editis clarissimis
doctrinae, artiumq; monumentis cornicum oculos configere posse ar-
treris? Verum heus tu, non ego sum is, qui tantum mihi sumam,
ut optimos scriptores è philosophiae regno crudelissime prescribam;
quibus ego potius, quantum in me est, magistratum cupiam pro-
rogari; neq; aliud specto, nisi ut hujus fines longius proferantur.
O præposteram igitur judicandi primum, deinde cognoscendi ra-

B 2 zionem

tionem! O immodestiam inauditam, turpitudinemq; singula-
rem! Tu non ad sapientiam educatus, sed divinitus esse natus;
neg; eam à quoquam didicisse, sed à maternis uberibus suxisse;
neg; ejus partem gustasse, verum universam tibi devorasse vide-
aris? tu nihil in medium adduci posse arbitreris, quod tibi jam
antè non perspectum cognitumq; sit? & iis, qui omnem etatis flo-
rem in rerum contemplatione consumperunt, tanquam linguam
exscindas, usq; sermonis, quo Deus hominem à pecude secrevit
homini interdicas? o audaciam impudentem! o jura insigniter
violata! o humanitatis sensum funditus sublatum! Verum quo
me quidam indignationis ventus abduxit, cùm id propositum
ab initio non fuisset? Quamobrem me cohibebo: iisq; responde-
bo, qui de commentariorum multitudine conqueruntur. Co-
piam librorum nos habere permagnam nunquam negabo; quæ
tamen ipsa videri nobis tanta non potest, si cogitare cum animis
nostris voluerimus, quam fuerint olim bibliothecæ scriptis volu-
minibus affluent, & quanta vi nummorum Pythagoræ, Speu-
sippi, Sibyllæ Cumææ, ceterorumq; libri eo tempore venderentur.
Ciceronem quodam loco Seneca scriptum reliquisse testatur, si vi-
ta sibi duplicaretur, eam non posse sufficere Lyricorum saltē car-
minibus perlegendis. Hinc subducenda ratio, & nostrorum scri-
ptorum paucitas estimanda prius fuit, quam de illorum copia con-
querendum. Præterea cùm tanta sit varietas eorum, qui cogi-
tationes suis memoriæ, literisq; mandarunt: & quia illi, cùm
eandem viam insisterent, non similiter contenderunt, neg; omnes
ad metam propositam cursum dirigere, vel etiam tenere potue-
runt: tanquam post messem non optimam denuò nobis est (ut ita
dicam:) doctrina serenda, & intelligendum, in tanta copia pluri-
morum nostris laboribus honestum locum non esse defuturum:
si modo nervuli diligentie intendantur, & quæ nobis desunt,

ex

ex antiquissimis verecundè hauriantur. Nam integrum orationem ex veteri libro de promere, cum nihil habeas, quod afferas de tuo, reprehensionem audaciæ, non ingenii laudem promeretur: & omnes ii, qui spatio sumpto ad cogitandum nullo quasi convolârunt ad scribendum, & rudem materiam animo conceptam iis rebus aluerunt, quæ ipsis in buccam potius, quam in mentem veniebant, semper ingenii fætum immaturum, debileg̃ pepererunt, qui nunquam ad illud robur perveniret, ut suam firmitatem propriis viribus tueretur. Cujusmodi librorum quamvis multa nobis examina indies offerantur: scriptio tamen erat ipsa retinenda, hominumq; solum inconsulta temeritas reprimenda. Quamobrem ob oculos aliquando nobis justicia, æquitasq; veretur, ut cuiq; quod suum est, pro cuiusq; merito tribuamus: & in conspectu posita prudentia sit, ut nostra bona non ignoremus, & quæ sunt optima, summa diligentiae contentione persequamur. Non igitur homines odiosi omnia scripta pariter reprehendant: desinant aliquando de iis pronunciare, quæ non accurate perspicerunt: non definiant terminos suo arbitratu, quousq; sit in rerum cognitione progrediendum: studiorumq; amplitudinem rerum ubertate, non sua ignavia metiantur: & inanis sapientiae si bi personam detrahi patientur. Quorsum verò tam altè repetita pertinet oratio? Videlicet ut meum videoas Iohannes Mejere institutum, igniculosq; amoris erga te mei cognoscas. Volui enim amicitiam nostram in hac epistola facere publicè testatam, & viam munire quibusdam meis lucubrationibus in philosophiæ spatiis confectis, quæ Deo mihi benè cupiente propediem subsequentur. Quanquam verò furia illa concertationum omnium parens, cui Eridi nomen est, non vocata in Deorum convivium apud poëtas legitur involâsse; hoc c̄st, ad suavissimum pabulum animorum, ingeniorumq; fætum obtrectationis veneno

in buendum se convertit: tamen, quia his meis scriptis ex animo bono profectis nihil aliorum sermone detrahatur, non ab iis publicandis me vel aliorum censuræ metus, vel ingenii imbecillitas, tenuitasq; deterret. Minutis enim rebus carere non possumus ad majorum perfectionem consequendam, uti in vita communi demonstrari potest.

Cernis ut à tenuis non magno pondere clavi
Magna per undosas puppis agatur aquas?

In primis autem hoc scripto judicium de me tuum, quod mihi quidem, ut poëta Antimacho Platonis, instar est plurimorum, tuiq; similium volui periclitari: quibus si potuero honestissimam meam probare voluntatem, umbratilem primum exercitationem differendi de legendi, scribendi, imitandiq; ratione; & lucubrationem de laudibus studiorum, eorumq; majori, quam rei militaris, dignitate; & Gorgiam, seu Lullianam amplè inveniendi rationem; & Antesignanum operis de perfecto Literato in septem dialogos distributum publicabo. Ad extremum autem majorum virium, aliorumq; nervorum commentarios sex librorum ipsius Literati ex tenebris in lucem atq; conspectum Deo juvante proferemus. Interea si hoc scriptum excellenti vir ingenio, summaq; virtute, incredibiliq; doctrina, meus ille Mejerus non improbabit: in quo, non dubito, quin etas nostra Sulpitium quendam aliquando sit, & majorum gentium equitatis patronum, jurisq; consultum habitura: aliis etiam hominibus honestate præditis, & bene doctis nostri cona-

conatus non admodum displacebunt. Etiam atq; etiam vale
vir prstantissime, ibi persuade, semper te mihi in oculis, in
ore, in animo esse futurum. Ex Vitebergensium Aca-
demia, optimarumq; domicilio, & seminario
literarum. Anno Christiano CIC. CI. XIXC.
ineunte mense Xbri.

Ceterum in exercitio non modo quoque ceteris
exercitiis per ratiocinationem q; dubium



1710
1710
1710



153456

ULB Halle
002 677 407

3



VD 77

Communione.

— Sanctus Iohannes. — Intra. Hunc est dilectus

Omminicantes et noctem usque dicimus
natussumā celebrantes. quia beatam
ne integrata virginitas. huic mundi
saluatori. Sed et memoriā uenerantur
nus eiusdem gloriosē semp̄ vi. misericordia
tristis. cuiusdam dei. et dñi nři ihu xp̄i. Sed et ad
torū apostolor̄ tuor̄ *In eisdem iōnū*

Omminicantes. et dicim sacraissimū celebra-
tes. quo virginitus tuus in tua tet̄ gloria. pos-
mus in ueritate carnis nostre visibiliter caro alio
apparuit. Sed et memoriā *In eisdem iōnū*

Omminicantes et dicim sacraissimū cel-
brates. quo dñs nob̄ ihu xp̄i pio uobis et
Sed et memoriā. **E**p̄anc igit̄ oblatio mea

Farbkarte #13



ALBERTI
MELLEMANI BER-
LINENSIS MARCHICI
DE SCRIPTIS RECENTI-
ORVM PHILOSOPHORVM EPI-
STOLA AD IOANNEM MEIE-
RVM LIPSIENSEM.



VITEBERGÆ
Excudebat Zacharias Lehman
Anno Iesu Christi
M. D. LXXXI.